ris affectu per omnia respondere, ita in hac parte non minus, quam in alijs omnibus laudata majorum nostrorum vestigia sequi volen, prædicta fœdera, eodem omnino ordine, forma, modo et tenore, quo præfatus REX FERDINANDUS frater noster Charissimus factum ipsius ratum et gratum haben, continuamus, confirmamus, instauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, et amplificamus tam pro persona nostra quam pro regnis, Provincijs ac Dominijs hæreditarijs nostris tenore præsentium. Promitten in verbo nostro Cæsareo, et bona fide, nos huiusmodi tractatum et confirmationem, ac omnia ac singula in ijs contenta et expressa, quatenus nos concernunt, inviolabiliter observare & adimplere, et in nullo illis contravenire velle, dolo et fraude semotis. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. DATA in oppido nostro Bruxellis Ducatus Brabantiæ die duodecima Mensis Decembris. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo Nono. Imperij nostri Trigesimo, et Regnorum nostrorum Trigesimo Quarto.

CAROLUS

V. CABERGENOTH

Ad mandatum Cæsareæ et Catholicæ Mtis. proprium.

Obernburger

Pacta sponsalia inter SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniæ et Joannem Ducem Finlandiæ de matrimonio DUCIS ipsius & Illmæ Dnæ CATHARINÆ. M.D. LXIII.

CUM Illmus Princeps Dnus Joannes Regni Sueciæ Princeps hæreditarius Dux Finlandiæ à Sacra R. Mte per Nuncios suos petysset, ut illi Illmam Principem Dominam Catherinam sororem suam natu minorem in matrimonium collocare dignaretur, atque ad declarandum suum in petendo isto matrimonio desiderium ex longinquis regionibus, postpositis omnibus dominiorum suorum rationibus, neglectis etiam periculis, quæ Illti suæ terra marique imminere videbantur, ad Mtem eius in persona sua venisset. Sacra eius Mtas summum hoc Illtis eius in appetenda eius Mtis affinitate, studium grato accepit animo. Pro sua vero erga Illtem illius inclytamque illius familiam amore, non recusat, quo minus necessitudo hæc, sanguinis coniunctio, jam tandem